


Tertia pars:

Qui etiam Spiritus est una quaedam realitas, a rebus
creatis distincta, stricte divina.

rw




Finis asserti:

Finis non est uti in theologia theoretica seu synthetica ultimas explorare radices attributorum divinorum vel essentialium vel notionalium, sed potius eum exhibere processum quo ex NT ad theologiam theoreticam perventum sit.

Exsistit scilicet factum quoddam historicum, cuius intelligentiam quamdam quaerimus. Factum est quod in symbolis fidei paullatim mutatus est concipiendi ^{et} loquendi modus. Ita in symbolo apostolico, DB 1 ss., solus Pater dicitur Deus; in symbolo nicaeno, DB 54, et Pater dicitur Deus et Filius dicitur Deus sed de Spiritu sancto hic titulus divinus non ponitur; symbolum constantinopolitanum, DB 86, de Patre et Filio sicut et nicaenum loquitur sed de Spiritu sancto additur quod est simul adorandus et conglorificandus. Iam omnes tres personae dicuntur Deus; at unus et unicus est Deus; quod cum praecedentibus compositum ducit in expressam agnitionem unius trium divinitatis.

Sed ubi una est trium divinitas, undenam tres? Cui Eunomianorum quaestioni responderunt Cappadoces, unam esse divinitatem, et tres autem esse proprietates personales. Adversariis instantibus responsum est has proprietates non esse tres essentias, neque esse tres operationes, sed in ~~re~~ modis existendi consistere; sicut enim Adam et Seth et Eva eandem essentiam seu naturam humanam habent, sed Adam quidem exsistit sine genitore, Seth exsistit ex genitore, Eva autem ex Adamo quidem est sed non per generationem naturalem. Sed et iterum responsum est has proprietates seu existendi modos in relationibus consistere; unde et ulteriora addita sunt theoremmata.



Quae duplex implicatio, sicut in aliis scientiis manifeste observatur, ita etiam in sacra doctrina secundum analogiam quamdam locum suum habet. Unde in altera parte huius tractatus synthetice procedemus: supposita enim quae dicitur analogia psychologica ad processiones divinas quodammodo concluditur; suppositis processionibus ad relationes Deo intraneas pervenitur; ~~suppositis relationibus, ad personas, ear~~ suppositis denique relationibus ad personas divinas tres, ad earum proprietates, actus notionales, atque missiones quodammodo intelligendas proceditur. At magnus hinc auctae intelligentiae atque sapientiae fructus (DB 1796, 1800) nisi per priorem viam analytice neque praeparatur neque fundatur. Qua in via nunc elaborandum est. Incipimus ergo ex iis quae sunt priora ~~hinc~~ quoad nos, scilicet ex iis quae in verbo Dei scripto et tradito continentur, ut ea quaeramus quae sunt priora quoad se, scilicet ad ea quae implicite tantum in verbo revelato inveniuntur sed explicite a magisterio infallibili declarata sunt. Incipimus iterum ex effectu quodam proprio SS. Trinitatis, nempe, ex Filio a Patre ad nos misso et ex Spiritu sancto a Patre et Filio nobis dato, ut aliqua dicere possimus de ipsa SS. Trinitate in se ipsa. Procedemus autem non secundum notam illam atque faciliorem viam quae ex principiis alicuius scientiae propriis proprias conclusiones deducat, sed via illa obscuriori atque difficiliori, quae potius dialectica quam logica dicitur cum ex factis per principia communia ad principia propria invenienda atque determinanda pedetentim neque sine longioribus saepe ambagibus pervenire soleat.

W